

respondetur cum sua confirmatione, quod irregularitas, quæ est censura, et illa quæ non est censura, ut significantur hoc nomine irregularitas non conveniunt in aliquo uno genere, nec in aliqua una ratione analogâ, saltem analogia attributionis, sed solum conveniunt æquivoce in illa voce irregularitas, sicut in illa voce canis conveniunt sua significata: vel saltem istæ duæ irregularitates conveniunt in una ratione analogiæ proportionalitatis, sicut relatio realis, et relatio rationis conveniunt in hac voce relatio, quamvis alias ut probat argumentum istæ duæ irregularitates conveniant in univoce ratione quatenus significantur hoc nomine privatio, in quo conveniunt plures aliæ privationes, sicut in hoc nomine substantia conveniunt univoce significata istius termini canis.

IX. Ad secundum respondetur negando antecedens. Et ad probationem dicimus, quod illa verba posita in definitione utriusque irregularitatis, videlicet, privans susceptione ordinum, et usu ipsorum, debent intelligi formaliter, ita ut sit sensus, quod irregularitas privat susceptione, et usu ordinum, quatenus ordines sunt formaliter, quia est incapacitas privativa impediens formaliter susceptionem et usum ordinum, ut ordines sunt. Excommunicatio autem privat susceptione, et usu ordinum non quatenus ordines sunt formaliter, sed quatenus communicationes sunt cum aliis fidelibus, vel quatenus sacramenta sunt, a quibus videlicet communicationibus, et sacramentis privatur excommunicatus formaliter, quatenus est excommunicatus. Et hoc explicat illa particula per se, posita in definitione, nam excommunicatus ut sic non privatur per se, sed per accidens a susceptione et usu ordinum, quatenus ordines sunt;

sed per se solum privatur illis quatenus communicationes, et sacramenta sunt; non enim privant hæc per incapacitatem, sicut irregularitas, sed per non exercitium debitum. Susceptio autem et depositio per se solum privant actibus ipsorum ordinum, et non quatenus ordines sunt, sed quatenus actus ecclesiastici sunt. Legatur Suarez disp. xl, sect. i.

X. Ad tertium: Aliqui propter illud in definitione irregularitatis apponunt sub disjunctione illas duas res, nempe privationem susceptionis ordinum, vel privationem usus in ordinibus susceptis. Sed tamen hoc verum non est, quia alias per istam definitionem sic explicatam disjunctive non excluderetur exacte depositio, et degradatio sacerdotis, quæ tantum privat usu ordinum; irregularitas autem privat copulative susceptione, et usu ordinum. Unde ad argumentum dicimus quod irregularitas quantum est ex se, habet vim privandi tum susceptione debita ordinum, tum administratione illorum. Per accidens autem impeditur a primo effectu in sacerdote, qui jam suscepit ordines, et ad id explicandum apposita fuit illa particula per se, quia irregularitas per se privat utroque; depositio autem, seu degradatio per se solum privat usu debito ordinum.

ARTICULUS IV.

Utrum irregularitas solo jure canonico ecclesiastico sit introducta?

I. In hac difficultate aliqui auctores, ut refert Suarez disput. xl, sect. iv, tenuerunt quasdam irregularitates introductas esse jure divino. Secunda tamen sententia est asserens absolute quæcumque irregularita-

tem esse solo jure ecclesiastico introductam. Ita tenent communiter universi jurisperiti, et theologi, ut refert Suarez ubi supra. Quæ sententia idcirco a nobis tenenda est, et explicanda sequentibus dictis.

II. Dico igitur primo: Irregularitas non est introducta jure divino in hac nova lege evangelica. Probat, quia non est introducta divino jure pertinente ad legem veterem, et perseverante usque ad legem novam; ergo nullo jure divino. Antecedens pro prima parte probatur, quia præcepta legis veteris, quæ dicuntur cæremonialia, aut judicialia, quamvis fuerint inducta jure divino positivo, tamen nullo modo obligant in hac lege evangelica, sed eorum obligatio cessavit cum lege veteri, ut docet D. Thomas 1-2, quæstione ciii, articulo iii de cæremonialibus; de judicialibus autem quæst. civ, artic. iii. Solum igitur præcepta moralia legis veteris, quæ ad naturalem legem pertinent, de quibus D. Thomas quæstione c, obligant etiam nunc in lege evangelica. Sed irregularitas non est inducta hoc jure divino ad legem naturalem pertinente; ergo non est inducta jure divino pertinente ad legem veterem. Secundo, pars antecedentis probatur, quia ut solet dici cum D. Thoma 1-2, quæstione cvi, et sequentibus, constans et indubitata est sententia theologorum, quod in lege evangelica nullum aliud præceptum divinum continetur, nisi solum præcepta pertinentia ad fidem, et spem, et charitatem, sacramenta, et gubernationem Ecclesiæ per claves: sed inter hæc præcepta nullatenus continetur ut poena pro transgressione illorum irregularitas; ergo non est inducta jure divino evangelico.

III. Dico secundo: Irregularitas solum est inducta jure ecclesiastico, ita tamen quod nulla alia irregu-

ritas admittenda sit, nisi sit expresse in jure. Prima pars conclusionis sequitur ex præcedenti, si enim divino jure non est inducta, necessum est, quod solo jure ecclesiastico inducta sit: cum enim hæc irregularitas sit privativa boni spiritualis, introduci nullo modo potuit per civilem potestatem.

IV. Et a posteriori manifeste colligitur conclusio, quoniam in omni irregularitate potest fieri dispensatio per Romanum pontificem; ergo omnis inducta est solum jure ecclesiastico. Secunda pars conclusionis etiam est communis sententia doctorum, quam colligunt manifeste ex ipsa juris dispositione in capite Is qui de sententia excommunicationis in sexto, ubi dicitur: « Is, qui in ecclesia sanguinis, aut seminis effusione polluta, aut vero præsentibus majore excommunicatione innodatus celebraret, quamvis graviter delinquat, irregularitatem tamen non incurrit, cum illa super hoc non contineatur expresse in jure. » Ex quo colligunt recte universi doctores, quod nulla sit irregularitas admittenda, nisi sit expresse in jure.

V. Sed inquires primo circa istam secundam partem conclusionis, quid intelligendum sit per jus, in quo expresse debet contineri irregularitas, ut incuratur illa. Ad hoc dico, quod per jus simpliciter, non solum sunt intelligenda statuta, quæ continentur in corpore juris communis, sed etiam quodcumque decretum summi pontificis, quod exhibetur motu proprio, aut quodlibet alio modo in ordine ad totam Ecclesiam. Et similiter intelligitur quodcumque statutum, et decretum Concilii generalis imponentis poenam irregularitatis. Ex quo sequitur primo, nullam irregularitatem de facto esse admittendam, quæ solum sit inducta episcopali auctoritate,

imo nec illa, quæ solum inducta est Concilio provinciali, aut Concilio nationali, quia nullum statutum ex his potest dici simpliciter jus, nam jus simpliciter dicitur in ordine ad universalem Ecclesiam, et quamvis nulla stante determinatione juris prohibentis posset episcopus, et Concilium provinciale, et a fortiori nationale imponere irregularitatem, quæ est censura, eo quod in ordine ad punienda delicta, et ad bonam gubernationem Ecclesiæ episcopus habet plenariam auctoritatem circa sibi subditos, quamdiu illa a summo pontifice non est limitata (et eadem ratio est quantum ad hoc de Concilio provinciali, et nationali) nihilominus de facto hujusmodi potestas episcopi, et Concilii generalis, et nationalis limitata est, ne possit imponere poenam irregularitatis, ut constat ex præallegato capite Is qui. Dixi irregularitatem, quæ est censura, quia de alia irregularitate magis certum est apud omnes illam imponi non posse ab episcopo, nec a Concilio provinciali, aut nationali.

VI. Secundo, sequitur quod summus pontifex non solum proprio motu, nec solum alio statuto respiciente totam Ecclesiam (ut diximus) sed etiam per particularem sententiam potest irregularitatem, quæ est censura imponere alicui, vel propter aliquod singulare delictum, vel in ordine ad aliquam particularem, vel particulares personas. Et ratio est, quia irregularitas, quæ est censura, imponitur tantum ut poena; ergo potest imponi a supremo legislatore, et iudice propter singulare delictum, vel in ordine ad singularem personam, non obstante quacumque dispositione, aut consuetudine juris, quia summus pontifex habet potestatem super hæc omnia. Cæterum si fiat sermo de irregularitate, quæ solum est canonicum im-

pedimentum, satis probabile est non posse imponi a summo pontifice per talem particularem sententiam non respicientem totam Ecclesiam, quamvis si de facto imponeretur a summo pontifice censendus esset ille homo irregularis, saltem in foro exteriori; in interiori autem probabilius posset censi non irregularis.

VII. Tertio, sequitur quod nisi irregularitas contineatur in præfatis juribus scripta, non est admittenda de facto, id enim importat illa particula expressa, quæ habetur in capite Is qui dudum allegato. Unde nullatenus valet argumentum a consimili casu ad probandum incurri irregularitatem, quia illa non incurritur, nisi sit expressa in alio consimili casu. Et multo minus valet argumentum ad probandum incurri irregularitatem propter gravius delictum, nam si non sit expressa et scripta, non incurritur propter gravissimum dictum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

VIII. Pro prima sententia arguitur primo ex illo secundo Regum. vii, ubi prohibitum fuit ne David ædificaret templum Domino, et causa hujus redditur I Paralip. xxii, videlicet, quia David multum sanguinem effuderat, et vir bellicosus fuerat, ubi expresse decernitur effusionem sanguinis esse maximam indecentiam ad ædificandum templum Domino, et consequenter secundum jus Dei importatur inhabilitas ad illud ministerium; ergo multo magis importatur in ordine ad ministerium altaris, quod excellentius est, et immediatius attingit Deum. Confirmatur primo, quoniam in lege veteri Levit. xxi et xxii, plura inducuntur impedimenta, quæ sunt quasi quædam inhabilitates, et irregu-

laritates in ordine ad ministeria a sacerdotibus exercenda; ergo necessum est, quod tales irregularitates fuerint inductæ jure divino. Probatur ista consequentia, nam aliquæ irregularitates ex illis durant adhuc, sed non possent se extendere ad utramque legem veterem et novam, nisi essent ex jure divino; cum jus cæremoniale et iudiciale legis antiquæ jam cessaverit; ergo. Confirmatur secundo, nam irregularitas bigamiæ inducta videtur manifeste divino jure, quia I ad Timoth. iii de episcopis, et aliis Ecclesiæ ministris dicitur, quod debent esse unius uxoris viri.

IX. Ad argumentum a principio positum, patet ex dictis. Ad primam confirmationem respondetur, quod in lege veteri nonnullæ fuerunt impositæ irregularitates, et impedimenta in ordine ad ministeria sacerdotalia ex jure divino positivo, quæ tamen præcepta cessaverunt jam cum ipsa lege, quia solum erant cæremonialia pertinentia tantum ad illam legem. Nihilominus tamen aliquæ rationes propter quas talia impedimenta ponebantur in illa lege erant rationes quædam morales pertinentes ad bonos mores, et ad decentiam, et congruentiam, quia ea, quæ sancta sunt, sancte tractari debent. Et idcirco propter easdem rationes nostra Ecclesia imposuit similia impedimenta suis ministris, quæ solum habent vim ex institutione ipsius Ecclesiæ. Et quidem ut docet D. Thomas in iv, dist. xxv, quæst. ii, art. ii, quæstiunc. iii ad primum in illa antiqua lege non imponebatur irregularitas propter sanguinis effusionem, et tamen imposita est in lege nova. Unde non dimanat ex antiqua, sicut nec dimanarunt plures irregularitates, quæ fuerunt in illa lege, et non sunt impositæ in ista.

X. Ad secundam confirmationem,

quidam doctissimus Thomista respondet, quod D. Paulus non loquitur ibi de irregularitate bigamiæ, sed solum intendit inducere episcopos, et ministros Ecclesiæ ut contenti sint unica uxore, nec post illam mortuam unquam aliam ducant, sed castitatem servant, et in hoc aliis sæcularibus exemplum castitatis præbeant. Sed tamen fallitur iste auctor, quia ibi secundum explicationem sanctorum doctorum, quos refert Suarez ubi supra dubio primo manifeste Apostolus loquitur de irregularitate bigamiæ. Nec tamen sequitur ex hoc illam esse ex jure divino, nam Apostoli aliqua constituebant in suis Ecclesiis, quibus præerant, quæ tamen non erant præcepta divina, sed humana, ut colligunt doctores sacri ex illo Pauli I ad Corinthios vii: *Cætera cum venero, disponam*: et constat id ex canonibus apostolicis, et isto modo irregularitas bigamiæ colligitur ex ibi dictis esse de jure positivo, non tamen ex jure divino.

XI. Secundo arguitur: Nam probabilis sententia est, quod irregularitas homicidii contracta ante baptismum, et similiter irregularitas bigamiæ non tollitur per baptismum, sed potius perseverant istæ irregularitates post baptismum; ergo signum est manifestum a posteriori illas esse introductas jure divino. Probatur consequentia, quoniam Ecclesia non habet potestatem nisi ad imponendas irregularitates suis subditis; fiunt autem homines subditi Ecclesiæ per baptismum; ergo irregularitas statuta ante baptismum non potest esse ex institutione Ecclesiæ.

XII. Hoc argumentum tangit illam difficultatem, an bigamus ante baptismum, sive occisor, aut mutilator, maneat irregulares post susceptum baptismum. Ad hoc